

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Barnstorff

**Amplissimo. ac Prudentissimo Domino Dno. Jacobo Diestelero ... Hodie.  
Parantur. Exeqviae. ... : [P. P. Sub Rectoratus Sigillo d. 9. Ian. 1702.]**

Rostochi[i]: Weppling, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747332045>

Druck    Freier  Zugang



Barnstorff, J.,  
in  
**J. Diesteler.**

Rost. 1702.

47





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn747332045/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747332045/phys_0003)

DFG



16.  
AMPLISSIMO. ac. PRUDENTISSIMO  
DOMINO

# DNO. JACOBO DIESTELERO,

REIP: PATRIÆ CONSULI. DEXTERISSIMO  
NUNC. DESIDERATISSIMO  
HODIE. PARANTUR. EXECUTIVE  
QVAS  
UT. FREVENTER. EANT  
PROCERES. AC. GIVES ACADEMIA  
ROSTOCHIENSIS  
HUMANISSIME. ROGO



J OHANNES  
BARNSTORFF  
J. U. D. ET PROF. PUBL. HODIE  
UNIVERSITATIS. RECTOR



Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Rimum nunc & in  
ipso novi anni vestibulo vos  
compello ; Sed pro strena  
non frondes dare aut mella pos-  
sum, qvia argumentum qvod  
affero , minus jucundum est  
nullamqve gaudii significatio-  
nem habet. Nimirum ab in-  
dicando OPTIMI VIRI funere auspicia mihi ca-  
pienda fuit ; qvod luctus materiam in nostram  
qvoqve civitatem transmisit. Potest tamen fune-  
stum illud officium casu oblatum , facillime in voti  
pietatem & bene vobis precandi argumentum sese  
converte. Qvi ergo ad EXEQVIAS vos pro-  
voco ; idem ineuntem hunc & qvotqvot longa se-  
rie succendent alii, annum vobis inter infinita pro-  
speritatis ac vitæ incolumis nomina , semper mor-  
tis meditatione distinctum esse precor. Qvod si  
enim dicente Seneca: quotidie novum sibi annum quis  
facere poset, quem felicem reddat ac faustum bonis co-  
gitationibus ; Quid cogitare melius, qvid opportuni-  
us

us reminisci , qvid sua conditione dignius memo-  
rare qvis debeat ; qvam se vita hac exuendum esse ?  
Illa sane recordatio animum rebus adversis fractum,  
commonstrato calamitatis ac vitæ communi termi-  
no erigit ; illa mentem peccati insidiis obnoxiam,  
si nutaverit , continet in officio ; Sin lapsa fuerit,  
vicissim retrahit ; Illa fidem præservat , totumqve  
hominem Salutaris spei certissimo eventui præpa-  
rat . Equidem post prolixam operam haud potui  
qvicqvam invenire , qvod adeo usui esset universis ,  
& ejusqunqve aut statum aut ætatem promtius  
assequeretur . Nolo tamen cum mortis memoria  
moriendi qvoqve celeritatem vobis accersere , qvin  
potius id ago , ut vos ad præsens votum compositi  
tranqvillius vivere ; & qvo magis ætate provehemi-  
ni , cœlo maturiores evadere queatis . Ignorari non  
potest ; qva via huc delatus sim , & qva ratione  
commotus ita scribam ? Publicus enim ROSTO-  
CHIENSIS CURIÆ luctus , atrati CONSULUM  
fasces , lamenta æris campani , & civium lugubris  
concursus altioris indaginis memoriam esse ,  
*Amplissimi ac Prudentissimi DNI. JACOBI*  
*DIESTELERI, Reip. patriæ Consulū immortalis*  
*ter meriti* , nunc prohdolor extinti , non designant  
modo , sed magno consensu clamitant . In antiquis  
Romanorum fastis , crastinum , nempe *V. Eid.*  
*Januarias* diem , invenio *intercisa* nomen habuisse ,  
aut ex vetustissimi Marmoris Maffeiani indicio ,  
*endotercisa* . Rationem appellationis si reqviras ,  
eam inde tuisse intelliges , qvod mutuis vicibus Diis

Az

ac

ac religione dicata, privatice relieta laboribus ea dies  
suerit. Nobis certe alio nomine hodierna intercisa  
audire poterit; qvæ luctum utriqve civitati no-  
stræ per vices dispertiendum complectitur. Præ-  
terea enim, qvod nostræ Musæ urbis hujus libe-  
rali hospitio exceptæ, non possunt civibus ac ur-  
bi universæ plangentibus immobiles adstante: Fuit  
is, cni extrema hodie per solventur, ex *Am-*  
*plissimo eorum ordine*, qvi Academiæ nostræ post  
*Serenissimum ac Magnificentissimum Patronum*, *Regentem Megapoleos DUCEM pa-*  
*trocinantur*; Imo qvod magis est, ipse studiis  
fautorem ac eruditis amicissimum se præsttit. Pro-  
fecto cum subinde eorum numerus augeatur, defi-  
cient autem honesta vitæ subsidia, qvi studiis se tra-  
didere ipsi aut destinati sunt; ad omnem literarum  
Rempublicam spectat jactura, si unus post alium ipsis  
Patronus eripitur. Et fuit sane affectu ac prolix-  
itate voluntatis nemini secundus; forsitan si æqualis  
ipsi studiorum copia fuisset, non paucis prior futu-  
rus. Neque tamen hæc laus unice ei propria  
fuit; qvam, nisi ratio domi nostræ nata, & qvia  
Musarum interest, commodi captandi causa prescri-  
pta videretur, pluribus explicarem. Sunt in-  
super alia multa nomina, qvæ dudum effecere; ut  
omnis bonus superstitem eundem vellet, ac ægre  
dimitteret. Ipsum *Consulare fastigium*, qvod suis  
meritis accepit item ac exornavit, naturam lucis ha-  
bet; qvæ nunquam sine communi omnium inco-  
larum

larum sensu aut nebula impediti , aut umbra teg-  
potest. Qvam illustres illud munus natales habuei-  
tit, ut liberatæ à Tarquiniorum superbia urbi pro-  
regibus primi consules dati sint ; non attinet hoc  
locorepetere. Illud autem dubio caret, tantam  
fuisse sub cæsarum qvoqve imperio consulum autho-  
ritatem ; ut qvi consulem diceret, talem denotare,  
qvi inter omnes emineret , præsumeretur. Hinc  
Jovem Deitatis apud gentiles principem ~~Θεον~~ ~~Θεον~~,  
consulem DEOrum Libanius nuncupat ; & Theo-  
dosius Jun. L. i. Cod. d. Consul: alio honore consu-  
latum augeri negat , *eo quod nibil aliis si dignita-*  
*re.* Qvam vero ab isto titulo hodierni consules  
absint, jam non disputabo : cum illustrium rerump-  
ac civitatum præcipuarum supremo magistratu  
tale nomen jure competit, qvippe post summum  
cui subsunt imperantem, illi in sua qvisqve civitate  
eminent. Et habet hæc nostra civitas præ aliis  
non liberis insigne decus , qvod suis eadem sumti-  
bus Academiæ partem sustentet. Ejus autem Con-  
sul etum Beatus noster fuerit , vel sola hæc, qvam  
gesit, dignitas, obitum illius deplorandum nobis pro-  
pinat . Sed cum ipso dignitas illa Virum amisit, qvi  
ei promovendæ qvasi natus esse factusqve videba-  
tur. Utiautem inter probos fidosqve conjuges dif-  
ficile existit divortium ; sic præcipuum munus,  
qvod Vir præcipiuus tenuit , nunquam sine doloris  
proventu vacat. Et est utiqve in ancipiti, an per-  
sonæ an viro hic gravius damnum mors intulerit,  
bono utrumqve suo privans. Id in omnium ore  
animoqve esse existimo , nihil in corpore efforman-

do, nihil in mente excolenda prætermissum a natura  
fuisse; qvod in DIESTELERO nostro desiderari  
posset. Ille proceræ staturæ decor, illa oris gratia  
ac frontis svavitas, illi inter humanitatem gravita-  
temque medii gestus, illi præcandore partim, partim  
pietate micantes oculi, omnesque cum viri animo  
ac dignitate conspirantes corporis partes; si nunc  
æque ac vobis civium urbicorum memoriae subji-  
ciendi essent; crederem fore, ut citius multorum  
oculis lacrymæ, qvam mihi hæc verba effluerent.  
Sed qvod indigna pretioso operculo patera, qvod  
sine auro ac gemmis diadema est, id merito  
sine virtute & corporis molem & dignitatis no-  
men dixeris. Qvare illa hic non allegassem, nisi  
æque virtutibus celebrandum nossem beatum Vi-  
rūm; qvam istis fortunæ accessionibus auctus ex-  
celluit. Pietatem qvæ alium virtutum gregem  
præcedit ac dicit, ipse integerrime coluit. Vix  
unqvam præsentiam suam Sacris conventibus sub-  
duxit; publicos privatosq; cultus strenue instituit  
ministris verbi benignum se ac liberalem præbuit;  
suæ familiæ autor, sibi ipsi actor, civibusq; ex-  
emplum sanctimoniae extitit. Enimvero in ea  
nun tempora incidit optima pietas, ut qvampri-  
mum in qvoqvam ultra Vulgi opinionem & Se-  
culi morem prædicatur aut conspicitur, statim  
suspecta esse videatur. Qvare quem ipse BEA-  
TUS VIR semper intra animum atq; Soli DEO  
decrevit cultum, nolumus uberioris propalare.  
Sed reliqvas virtutes, qvibus eluxit, qvoties aut  
munus obiri debuit, aut ipse calamitate varia obru-  
tus

tus fuit aut dubii casus animum exercuerunt; quamquam nec copia mihi nec otium diducendi deficiat; spatum tamen & instituti ratio non sustinet. Diu fortasse post nostram memoriam ejus in commune civitatis bonum assiduitas, rerum eo pertinentium notitia, & in commerciorum negotio experientia desiderabitur. Supererit inter maximos minimosque singularis comitatis laus ipsi propria; expeditissima in charitatis officiis, sive in prosperis sive adversis ea reqviretes, promptitudo; invicta tot domesticis luctibus, tot fortunae valetudinisque intervallis animi præsentia. Nunc in Senatu ac curia, nunc inter amicos, nunc in honestis conviviis, nunc suæ ipsius domui desiderabitur ejus præsentia, plorabitur impensissime absentia. Et si verum est quod Nov. CV. dicitur: Uxores radiis maritorum coruscare; certe postquam istud nostræ urbis sydus declinavit; quod porro observare cives nequeunt, in reliquiis ipsius, NOBILISS. nempe VIDUA MOESTISSIMAQUE PROLE venerabuntur atq; suscipient. Nulla certe illius ætas, nec ullus vitæ status fuit, quæ cum laude ejus non recenseretur, aut in exemplum posteritati cederet. Qva mente morem geram consuetudini academiæ, prout accepi vitæ vicissitudines, qvas Beatus subiit, enarraturus.

Natus est Ad. 1641. d. 26. octobris, eodemq; loco quo desiit nunc, incœpit vivere. Patrem habuit *Virum integerrimum atque eximum, CASPARUM DIESTELER,* inter Cives ac mercatores nostros præcipuum; qui ex nostratis AVIA ELISABETH

ABETH Trendelenburgi natus fuerat  
HENRICO DIESTELERO, Senatori Wismarensi  
optimi nominis. Mater ei fuit Sara, ex celeberrima  
apud nos KNESEBECKIORUM familia, HEN-  
RICI KNESEBECKEN Civis ac Mercato-  
ris è nostratis florentissimi filia, neptis autem PE-  
TRI KNESEBECKII, gloriose recordationis  
Principi ADOLPHO FRIDERICO à minis-  
terio præfecturae Doberanensis, ex matrimonio  
ANNÆ PREUSSENIAE. Rudimentis literarum  
initiatus ac artium quoque elementis imbutus est,  
optimæ indolis tum puer, & magna fuit circa ingen-  
ium ejus contentio, ut ipse pius, ut doctus etiam  
evaderet. Et sane experientia nostram ætatem doc-  
cuit, cum magno literarum bono eundem inter erudi-  
tos potuisse consistere, modo evocatus non fuisset  
ex ipso doctrinæ elegantioris atrio. Accommo-  
darunt primæ juventutis studiis operam suam M.  
ADAMUS Seidenschwanz Subrector, & Con-  
rector Scholæ oppidanæ M. JOHANNES BL-  
SCHOFIUS. Qvorum præceptis defunctus  
Venerabilis VIRI MICHAEL COBABY,  
è Rectore Scholæ ac Math. Prof. in academia fa-  
cti Professoris Theologi institutioni se commisit.  
Illa jamdum tempestate ex materno funere pater  
ejus viduam senectutem, ipse orbam agebat adole-  
scenciam; qva ratione moti cognati molestiarum,  
qva literatos urgent, consci, satius duxerunt ipsum  
mercatui addicere; qvam deinceps propter ingenii  
felicitatem ac capacitatem, qvod metuebant, mise-  
rum

rum esse. Hinc ex intinere, qvod ad Gymnasium.  
Sedinense paraverat, frustra omni supellectile com-  
posita librisq; corrasis, ad mercaturam pertractus est.  
Complures ergo annos mercatoribus Lubicensibus  
Hamburgensibusque cohabitans, commerciorum  
institutis facile abundavit, propter summam urbi-  
um autoritatem suæque bonitatem indolis. Qvare  
satis ab his instructus patriam repetiit, Anno 1661.  
Spectatissimo mercantium collegio honeste acces-  
sit, civitatemque nauctus proxime sequenti Anno d.  
24. Novembris nuptias *Pie at ornatissima Virginis*  
**ANNAE MARGARETAE SEBESSIN** habuit,  
qvæ à teneris Jesum agnoscere agnatumque amare edo-  
cta, de cætero ipsa virius, ipsa in conversatione huma-  
nitas, ipsa in Cruce patientia dici meruit, judicante Il-  
lustri Theologo B. Henr. Müllero. Octo annos  
cum illa vixit sine querela, cumq;e conjugii fidem  
sex ei pignoribus obfirmasset; illa Ao. 70. ad melio-  
res transiit. Sunt autem ex isto conjugio suscepiti  
liberi, duo filii ob contiguam nativitati mortem  
innominati, filiæ dehinc **ANNA MARGARE-**  
**TA, ANNA ELISABETH & ANNA CA-**  
**THARINA, cum Juperstite filio CASPARO.**  
Cive ac Mercatore hodie dexterimo. Paterno ta-  
men funeri nonnisi **ANNA CATHARINA**, qvæ  
DN. JOHANNI ZINCKIO ab ærarii Provinc.  
reventibus, nupsit, & supranominato filio superest:  
Qvorum prior duas, posterior ex **ANNA CATHA-**  
**RINA, HENRICHSENIA** totidem neptes u-  
numq; nepotem in paternum sinum reposuere. No-  
mini autem ejus fama laudem, præmium principum  
Megapoleos Clementia conciliaverat interea; & ipse

B

ad

*ad provincialis ararii Praefecturam* A.O. 1666.  
admovebatur. Viduitatis autem ægerrime acce-  
ptæ remedium sibi accivit, secundisq; votis con-  
jugem accepit ANNAM MARGARETHAM  
PALTHENIANAM agnatione Puffendorffiana  
celebratam, qvæ duodecimo a nuptiis anno itidem  
cum corpore thorum reliquit: postqvam octies ex  
ipſa pater ipſe fuisse. Namq; illa ei genuit JA-  
COBUM, ANNAM MARGARETHAM, CA-  
THARINAM MARGARETAM, DOROTHE-  
AM ELISABETHAM, JACOBUM( pro pri-  
ori illo ipſi redditum ) ANNAM ELISABE-  
THAM AC ANNAM DOROTHEAM. Asto-  
nis hæc Soboles ad matris ſeſe recepit confor-  
tium, æterni parentis manu concluſa; præter filiam  
*natu primam unicumq; filium;* qvibus  
tanto præſentior fit consolator divinus Spiritus,  
qvanto paterni funeris acerbiori ſenſu afficiuntur.  
Altero tamen ante ſecundæ conjugis jacturam an-  
no nempe 83. d. 14. Februarii SENATORIA DI-  
GNITATE auctus ipſe fuit; & dignitas deinceps  
per ipsum vicifim adeo exornata tantaq; dexte-  
ritate rctenta fuit, ut ante hos tres annos bene me-  
renti *consulatus decerneretur.* Sed ad domesti-  
cam ejus ſortem redeundum eſt. Nupsit ei tertiu-  
m ſponſo A.O. 84. *Virgo prænobilis JOHANNA*  
*DE HILLEN ex clarissima Hilleniorum stirpe orta,*  
*& Thurmannianæ, Cothmannianæq; familiae*  
*confinis; Ea qvoq; interjecto septennio qvinto pu-*  
*orperio immoriebatur; e qva ſuscepereat filios JOH.*  
*CHRI-*

CHRISTOPHORUM *ATQUE* JOH. HENRI-  
CUM, *FILIASQUE* ANNAM ELISABETHAM,  
ANNAM MAGDALENAM, JOHANNAM  
DOROTHEAM. Sed horum quoque ultimo no-  
minatae filiae, ANNA MAGDALENA ac DORO-  
THEA; jam ante patrem obierunt. Cum vero to-  
ties divina manus conjugali vinculo ipsum solvere  
instaret; Facultatem toties sibi factam pruden-  
tissime judicavit denuo contrahendi. Ergo quar-  
tam insuper thori Sociam elegit SOPHROSYNAM  
MARIAM SCHULZIAM, Patre GABRIELE  
WOLGASTIENSIS *Ecclesia antistite* genitam.  
Quod tamen solatum omnium minime perstigit; si-  
quidem An. 1693. ductam amisit statim sequenti an-  
no, postquam nono die ante, FILIOLUM GABRIE-  
LEM, optimae indolis puerum, & si quid vota val-  
ent in patris exemplum abiturum, ei pepererat. Sed  
ne suspicor quidem reiteratum toties a beato matri-  
monium, iniuste quemquam ipsi interpretaturum  
esse, nisi forte DEUM eadem opera reum agere ten-  
tet; qui erepta semper priori conjugi, alterius du-  
cendae ansam dedit. Novimus etenim integrum hic  
cuivis libertatem esse, quoties coelesti manu foedus  
conjugale rumpitur, ordinaria id via resarcire. Et  
si etiamnum HIERONYMO *AD GERONTIAM*  
scribendum esset; is sane re melius cognita non-  
modo illam a secundis nuptiis non deterreret; Sed  
ne quidem in illos porro invehernetur conjuges,  
quos Romae se vidisse scribit: *Ubi maritus ante uxe-  
rem, viginti alias, illa ante ipsum unum & virgin-  
ti viros in matrimonio habuerant.* Ultimo tandem  
loco, ut unde discessi, eodem revertar, videns Bea-

B 2

tus

tus Vir nec suam senectutem subsidio, nec infantiam  
liberorum suorum præsidio familiari carere posse;  
qvintas qvoqve nuptias petiit, petitasqve impetravit  
ac impetratas pacatissimo matrimonio inde ab A.  
1696. ipso hoc, qvo hæc consignata sunt die, conti-  
nuavit. Qvod qvidem adhuc NOBILISS. MATRO-  
NAM gravius adfligit, qvæ uno eodemqve die tu-  
mulo nnc infert, qvem ante sexennium faustissi-  
mo thalamo receperat. Sic nempe interpolata sunt  
omnia tempora nostra, omnisqve lætissimorum even-  
tuum recordatio substata calamitati! Est autem  
vidua illa moestissima, nostrumqve omnium com-  
passione dignissima, *Virtutum splendore ac gene-*  
*ris honestate celebris Matrona ANNA ELSABE*  
*HINRICHSENIA*, vidua prius B. JOHANNIS  
VINNHAGEN *animarum prope Wismarium*  
*Senioris in Neuenburg.* Illa hodie tanti mariti fu-  
nus non immerito plangit, & quotidie luget, qvia per  
tot annos fidelitatem ejus & probitatem experta est;  
utiqve ob id magis misera, qvia habuit virum, qvi  
nunquam latis amari, nunquam sine lacrymis dimit-  
ti potuit. Vulgare illud experimentum est, sem-  
per duriorem gravioremqve lapsum pati eos, qvi  
fortunæ ductu altius ascenderunt: Quare illam *o-*  
*ptimam Matronam* prostrato animo esse, impen-  
se jacturam suam dolere, & tantum non gradu pror-  
fus dejici, non præter humanam conditionem acci-  
deret. Amisit enim non *maritum* modo, sed eun-  
dem *multo savissimum*, *sed amore dignissimum*,  
*sed præcipuo honoris titulo conspicuum*. Faxit  
autem

autem eandem divina bonitas hodie tantopere pres-  
sam nunquam tamen opprimi, addat illi sui spiri-  
tus opem, qva animum recipere, propitiam DEI  
voluntatem venerari, & inter amplissima solaminis  
argumenta agnoscere queat, cœlo magis ac æterno  
gaudio, quam humanis necessitatibus natum fuisse  
Beatum Consulem. Amet usqve licet nomen,  
servetque memoriam pie defuncti ; ita tamen  
mortem ejus ferat, ut DEO quod suum est, impa-  
tienti luctu denegare voluisse non videatur. Con-  
cedat eadem Sanctæ nunc Viri beati animæ, eas  
denuo novisse mentes, quas thori olim Socias, nunc  
ad divinæ majestatis thronum felicitatis consortes  
naœta est. Ut autem de instrumento faustissimi ad  
cœlites excessus, qvem beatus habuit, hic qvoque  
nonnihil dixisse videar, *pleuritidis*, ut verbo dicam,  
cum *acuta febris* conjunctæ malum corripuit illum an-  
te aliquot tempus ; & nunc qvoque eripuit rebus  
humanis. Statim ad primum exitialis morbi impe-  
tum vires cessere, spiritusque varie agitati ac mise-  
re exerciti defecere. Tot enim modis morbi vio-  
lentia se exeruit, qvot vel triplex in pectore robur  
superarent. Ad fuit nempe *vehementior tussis*, fre-  
quens *pituitosa* ac *viscidæ materiæ expiratio*, *ciborum*  
*inappetentia* *actantum* non *aversio*, *ardentissima* *suis*, *an-*  
*xetas* *præcordiorum*, *respirandi* *difficultas*, *continuae*  
*digilia*. Et qæ non alia *presentissima* *moris tentamen-*  
*ta*. Denique dolor acutissimus succedit, cum  
exasperatione ac exulceratione faucium; qvæ sym-  
ptomata cum incrementum indies caperent, impe-  
dita fuit deglutitio omniqe medicinæ iter *præclu-*

sum, & dolor tandem in artuum tremorem, contracturas variarum partium & convulsivos motus abiit; donec ultimam tandem lineam IV. Kal. Jan. circa horam IIX. matutinam mors ipsa duceret. Nil utique Medicus, Dn. D. BERNHARDUS BARNSTORFFIUS, *Poliater dexterinus*, Frater mihi & stimatissimus omisit, qvod vel morbo superando, vel viribus reficiendis, vel denique præ-occupandæ morti inservire creditit. Sed cum medicina hominum à DEO leges habeat ac terminos; in promtu causa jam est, cur præter DEI voluntatem naturæque terminum nemo à morte vindicari queat. Qvod Vespasiani Cæsaris ( annotante Svetonio) lethaliter decumbentis dictum fuit: *Imperatorem flantem mori debere;* Illud non quidem de corporis positu, animi tamen constantia atque vigore *innostrum quadrat.* Non ille corporis enervati onere, non mortis calamitate, non novissimis hostium salutis nostræ insultibus frangi, imo ne debilitari quidem potuit. Et merito posteritati imitanda relinqvitur pientissima ratio, qva se morti vicinus ad supremum humanitatis debitum composuit. Quisqvis enim eo Spiritus impulsu, eo placide moriendi conatu, eo adversus cœlestis gaudium desiderio mori didicerit; quæ ipse elegantissimas preces: Weil du mein HÖL und Vater bist; etc. HERR JESU Christ mein Trost du bist etc. Item Wenn ich für Gericht soll treten/ ac porro Jesus ist mein Hirt/ & maximè verba illa, Jesus hab ich mich ergeben/ JESUS ist mein Trost allein/ ich mag sterben oder leben/ Jesus ist und bleibt

het mein/ tanta vocis contentionе, tanta intimi sensus testificatione enunciavit, quasi altera jam manu cœlum comprehendens: magistrum artis dixero. Sunt & præter has aliæ preces ipsi frequenter dictæ ac confidenti animo recitatæ: Was mein GOTT will/das gescheh allzeit; etc. HERR Jesu Christ Ich leb ich/ Dir sterb ich etc. HERR wenn ich nicht mehr reden kan/ so nim mein letztes Seufzen an/ den Geist in deine Hände/ etc. Ach JESU Wunden zum Beschluss ergreiff ich/ wenn ich sterben muß. Ita nimirum has talesque formulas vel centies ingemnando, pro tantum se ac ad divinæ voluntatis arbitria paratiſſimum exhibuit; votique prosperrime compoſ evasit: habens cum hinc discederet Annos sexaginta cum duobus mensibus actotidem ultra diebus.

Sic ergo *Consul optime meritus* pro persona, quam inter nos habuit, civitatem cœlestis curiae obtinuit. Gratulamur ei hanc felicitatem, ipsiusq; perpetuum istud apprecamur gaudium, luctum autem *mæſtissima familia* brevi vincibilem. Sexagenarius ipse mortalitatis legem subiit, quasi ad militiæ Romanæ terminos subducta ratione. Nam dimisso fuisse qui LX. annos superaverant ac pro emeritis habitos, memoriæ proditum legimus. Strenuushic & ante signa pro pietatis officio, ciuium salute, familiae incremento stetit; hinc quia formem se ac invictum gessit, illico evocari debuit ac ad eos usus reservari, ut cum Christo olim reddituro in triumpho procedat. Vicariam deo, nam ejus locum tenuit, in administranda republica *Consul noster* præstítit operam; legatus quasi inter nos aut

pro-

*proconsul* Supremi omnium ac augustissimi monarchæ unico, uti & legati Romanorum consverere, consulatus provinciam tenuit triennio. Jam ipsi ob servatos cives, hostesq; expugnatos animæ, supplicatio non dierum aliquot, sed universæ æternitatis decernitur. Perpetuum ovat nunc purissima mens, ac tandem corpori redditæ sine termino lætabitur. Non est qvod post administratam vitæ ac familiaris rei provinciam repetundarum postulari debeat; qvi acceptas a DEO conjuges non redidit modo sedcum sœnore restituit; exsolutis jam creatori Viginti liberis a se prognatis: qvorum XII. cœlum recepit pro vitæ usura beato concessa, reliquiasq; adhuc patet.

Unum nunc supereft, qvod a vestrâ humantate ac benevolentia expetunt vidua liberiq; DIESTLERIANI, ego certissime expecto. Est juris nostri Lib. II. tit: I. effatum: *Honore maritorum uxores erigi;* Perivasissimum habeo, Proceres ac Cives Academicæ Honoratissimi, qvod si exequiis B. Dni Consulis eum honorem habere atq; in illis frequenter procedere dignabimini; illud non in viduæ lolum sed universæ familiæ solamen ac recreamentum cessurum esse. Sinite ergo quo illud vos exorem, & qvando funus deducetur, adeste, confluite, ac vos mortales esse reputate.

*Funus à meridie effertur, & conventus est  
hora I. in æde Basilica;*

P. P. Sub Rectoratus Sigillo d. 9. Jan. 1702.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn747332045/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747332045/phys_0024)

DFG

het mein/ tanta vocis contention  
sus testificatione enunciavit, quasi  
cœlum comprehendens: magisti  
Sunt & præter has aliaæ preces ipsi  
ac confidenti animo recitatæ: 2  
will/dass gescheh allzeit; etc. H  
leb ich/ Dir sterb ich etc. HE  
mehr reden kan/ so nim mein letztes  
Geist in deine Hände/ etc. Ach  
zum Beschlussergreiff ich/ wenn ich  
nimirum has talesque formulas ve  
nando, protutum se ac ad divinæ  
paratissimum exhibuit; vorique  
pos evasit: habens cum hinc disce  
ginta cum duobus mensibus actoti

Sic ergo *Consul optime*  
sona, qvam inter nos habuit, civita  
riæ obtinuit. Gratulamur ei hand  
perpetuum istud appreccamur gaud  
tem *mæstissima familia* brevi v  
xagenarius ipse mortalitatis legen  
militiæ Romanæ terminos subdue  
dimissos fuisse qvi LX. annos su  
emeritis habitos, memoriae pro  
Strenuushic & ante signa pro pie  
um salute, familie incremento stet  
tem se ac invictum gessit, illico  
ad eos usus reservari, ut cum Chr  
in triumpho procedat. Vicarian  
locum tenuit, in administranda re  
fer præstitit operam; legatus q

i sen-  
manu  
xero.  
dictæ  
OEE  
a Dir  
nicht  
a/ven  
inden  
Ita  
gemini  
bitria  
com  
lexa  
ebus.  
oper  
s cu  
ipsiq  
mau  
Se  
asi ad  
Nam  
icpro  
imus.  
civi  
a for  
uit ac  
ituro  
ejus  
ul no  
s aut  
pro-



the scale towards document